



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Tit. VIII. De temporibus ordinationum & de ætate ordinandorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

Exeat in Bullario Roma edito, & anno 1586.  
 2 Ad di possunt ex Canonibus Apost illi qui ancillam,  
 id est, non liberam vel spectantibus publicis mancipatam  
 duxerunt, ex can Si quis viduam dist. 14, Verum his  
 in nullum vitium bigamia est; nisi velimus per ancillam  
 intelligere, quæ & ab alio corrupta est, ex sententia Tur-  
 recremata, ibid. Qui autem hoc §. numerantur, si se-  
 cundum proprietatem nominis Bigami dicuntur, qui se-  
 cundas contraxerunt nuptias, ceteri improprie, & qua-  
 dam similitudine, Glor. recepta in cap. 1, de Bigam  
 & probat text. in cap. Debitum Ext. eod. Huius  
 autem irregularitatis ratio est quod, licet matrimonium  
 contractum cum corrupta verum sit Sacramentum, re-

presentans per mutuum consensum conjunctionem Chri-  
 sti & anime iuste; non est tamen quoad significationem  
 omnino perfectum Sacramentum, siquidem non significat  
 conjunctionem Christi cum unica & immaculata sponsa  
 Ecclesia, can. Acutius dist. 26, & d. cap. Debitum.  
 Unde bigamus, cum patitur defectum quoad significatio-  
 nem in Sacramento matrimonii, prohibetur etiam à Sa-  
 cramento Ordinis. Deinde pati non debet defectum in Sa-  
 cramento, qui Sacramenta administraturus est. Ita ex  
 Theologi & canonistis Did. Covarr. ad cap. Furiolus in  
 1, p. relect §. 2, num. 3, vers. huius, De homicid. in  
 Clement.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, ET DE ÆTATE  
 ORDINANDORVM.

TITULUS VIII.

§. 1. Quibus temporibus sint Ordines conferendi.

Sed & certa tempora Ordinibus conferendis à  
 sacris Canonibus præstituta sunt. Etenim mi-  
 noribus Ordinibus uni vel duobus conferendis  
 dies Dominici & alii festivi, cap. 3, Ext. De temp.  
 ordin. sacris quatuor tempora & dies Sabbati san-  
 cti, & qui Dominicam de Passione antecedit, de-  
 stinati sunt, nihil impedire oportet contrariâ consue-  
 tudine, cap. 1, cap. 2, c. 3, 8, 18. & 36, Ext. d. tit. adde  
 can. 3, 6, 7, dist. 75, & Concil. Trid. sess. 23, cap. 8, de re-  
 form.

§. 2. Plures ordines sacri eodem die uni non sunt con-  
 ferendi.

Non tamen uno eodemque die, vel etiam duo-  
 bus continuato jejuniis ad binos Ordines sacros  
 quis admitti debet: in transgressores poena sus-  
 pensionis constituta est, cap. Literas 12, cap. Dilectus  
 15, Ext. De temp. ordin. Concil. Trid. d. sess. 23, cap. 13, in  
 fine.

§. 3. Qua ætate ordines recipiendi.

Nec minus ætatis ratio habetur: qui enim ad  
 primam tonsuram, & ad tres sequentes Ordines

minores admitti desiderat, ipsam infantiam, cap.  
 fin. De temp. ordinati in 6, can. 2, dist. 77, iuncto §. non  
 tamen sup. tit. præ. qui ad Acolytatum, duodeci-  
 mum ætatis annum necesse est expleverit, d. 2, 2,  
 vide ibid. Glor. & Card. à Turrecrem. can. 3, dist. 28,  
 Post hoc tempus omnes Ordines minores rectè  
 recipiuntur, sed per temporum interstitia, nisi a-  
 liud Episcopo expedire magis videatur, cap. 3, &  
 ibid. Gl. Ext. De temp. ord. Concil. Trid. d. sess. 23, c. 11,  
 Quoad Subdiaconatum, Diaconatum & Presby-  
 teratum, diversa olim tempora constituta erant,  
 sicut videre est in can. 2, cum seqq. dist. 77, in c. 1, cum  
 seq. dist. 78, in cap. fin. De ætate & qual. in Clem. Verum  
 hodie ex Concilii Tridentini decreto, nullus ad  
 Subdiaconatus Ordinem ante XXII. ad Diacona-  
 tus ante XXIII. ad Presbyteratus ante XXV. æ-  
 tatis suæ annum promoveri potest, d. sess. 23, cap. 12  
 de reform. In Episcopo ordinaando ætas XXX. an-  
 norum exactorum, ut minimum, exigitur, cap.  
 Cum in cunctis 70, in princ. Ext. De elect. iuncto Concil.  
 Trid. sess. 7, cap. 1, de reform. }

DE CLERICO FVRTIVE VEL PER SALTVM PROMOTO.

TITULUS IX.

§. 1. De promotio furtivè.

Quod si quis furtivè, id est, clam Episcopo or-  
 dinaante, ad aliquem Ordinem subreperit,

quam ab usu recepti Ordinis, quam ab aliis in  
 posterum recipiendis, submovetur, donec di-  
 spca-